Literæ cujusdam ex aulicis ad Martinum Cromerum episcopum Varmiensem.
Ex arch. capit. Varm. [1581. 23 Mai]



27

Reverendissime in Christo Pater.

Ternas a Dominatione Vestra Reverendissima eodem fere tempore literas accepi, quarum ultimis adjunctæ quoque erant ad majestatem Regiam, quas ipsemet majestati Regiæ obtuli. Perlectas autem ubi majestas Regia porrexisset Domino Vicecancellario, petitum a me est responsum: indignum enim esse privatarum aliquot Civitatum livore et invidia, Primarium ejus Provinciæ Consiliarium a Provinciali Consilio excludi, segregarique sese potius D. Vestra Reverendissima ab illis permitteret, quam ut tanta indignitate admissum jam a Majestate Regia Episcopum a Civibus istis affici patiatur. Respondit Rex: antiquam eam Pruthenorum esse querelam, petitionemque D. Vestræ Reverendissimæ arduæ esse deliberationis, de qua absente Senatu aliquid decernere, difficile atque periculosum esset. Expectandum itaque ipsorum Pruthenorum responsum, de Conventusque ipsorum exitu certi aliquid cognoscendum, postea hac de re cogitari posse. Retulit hic tamen mihi Syndicus Elbingensis in proxime futuro Pruthenico Conventu Controversiam hanc D. Vestræ Reverendissimæ fortasis compositum iri, non denegaturosque esse D. Vestræ Reverendissimæ debitum locum Provinciales, spem mihi non mediocrem fecit. Quæ causa est ut D. Vestram Reverendissimam pro meo erga ipsam candidissimo studio, etiam atque etiam rogatam velim, ut interdum, istorum deblateratorum insolentiæ aliquid condonare velit, ipsius majestatis Regiæ exemplo inducta, quæ hæc verba in dies frequenter habet: non ut volumus, sed ut possumus. Expectatur propediem a nobis Legatio moschovitica, quæ vix creditur aliquid solidi nobis esse allatura, nisi fortasis Davidis cujusdam Bielski, qui Moscho ab arcanis in summisque fuit deliciis, ad nos fuga, aliquid certioris attulerit. Tantæ fuit auctoritatis hic transfuga apud ipsum tyrannum, ut hujus Legationis, quæ apud nos futura est, expe-

ditionem

28

ditionem cum mandatis Smolenseum attulerit, qui cum septi
millium copiis stipatus, impressionem in ditionem Regiam
cturus esset, ubi confinia attigisset, relictis copiis, met septim
se se ad nostros subduxit. His me D. V. Rme Reverendissimae commendo. Dat
Vilnae, die XXIII 23 Mensis maii, Anno Domini M. D. LXXX 1581.
R. D. V.

Addictissimus

Henricus Wozd...

Reverendissimo in Christo Patri Domino
Domino Martino Cromero, Dei Gratia
Episcopo Varmiensi Domino ac fautori
Observandissimo

Joannes Firley de Dombrowicza manu propria Petrus Firley de
Dombrowicza manu Propria

Ad 1581